

Patris et Filii et Spiritus Sancti resurgas et iniunctum tibi praedicationis officium peragas'. Dehinc benedictione communitos dimisit eos alacres et laetos. At illi summa cum festinatione, ut iussum fuerat, pergentes 15. rursum die in Alsatiam, unde venerant, revertuntur, convocantesque turbam fidelium retulerunt illis, quidquid eis a beato Petro dictum vel iussum fuerat, simulque ad indicium veritatis baculum ipsius protulerunt. Quem videntes cuncti fideles magna cum laetitia et gaudio deosculati sunt dicentes: 'Pergamus nunc, fratres, ad sancti patris nostri sepulchrum pariter et praeceptum¹ beati Petri apostoli perficiamus celeriter'. Cumque pervenissent Elegium ad sancti Materni sepulchrum, terram effodientes et loculum aperientes invenerunt² corpus magistri sui integrum et incorruptum, ac si eodem die esset sepultum. Accedentes igitur Eucharius et Valerius baccinum beati Petri in manus eius dederunt dicentes: 'Pater Materne, haec tibi mandat beatus Petrus domini nostri Iesu Christi apostolus, ut in nomine sacrosanctae trinitatis exurgas et iniunctum tibi officium sanctae praedicationis perficias'. Mox ille, quasi de gravi somno expergefactus, oculos aperuit, baculum tenens manus ad altum levavit. Quod videntes discipuli manus eius tenuerunt ac de tumultu³ levaverunt. Confestim clamor ingens fidelium, qui aderant, attollitur Christusque dominus ore cunctorum benedicitur. Beatus vero Maternus manu silentium indicens tali eos sermone alloquitur: 'Ego vero, fratres, ut scitis, de huius saeculi aerumna sublatus et in aeternae beatitudinis fui sede collocatus, perspexique sanctorum gloriam et malorum sine fine miseriam. Precibus itaque beati Petri apostolorum principis huic vitae a Christo sum redonatus rursumque tot annis iussus sum vobiscum⁴ vivere, quot diebus in sepulchro me constat iacuisse, veluti 30. Nunc igitur, fratres, Christo regi regum colla subiicite et fidem Christi, quam suscepistis, firmiter tenete, ac spem beatae resurrectionis, me vobis testimonium praebente⁵, certius retinete'. Haec cum dixisset, iterato⁶ clamor exoritur, fletus convertitur in gaudium, gaudiumque transiit in iubilum. Nec mora confestim huius rei irrevocabilis fama volat,

Agrosque et villas castellaque complet et urbes.

Fit concursus multitudinis utriusque sexus, certatimque se signo fidei insigniri efflagitant, quibus sanctus episcopus manus imponens ac benedicens cathecumenos fecit. Dehinc indicta poenitentia in nomine sacrosanctae trinitatis baptizantur. His ita actis civitatem Argentinam ingressus multos civium convertit ad Deum, et auxilio ipsorum ecclesiam extra portam civitatis construxit dedicavitque. Haec itaque eadem ecclesia ad indicium huius

1) perceptum Hs. 2) invenerant Hs. 3) tumelo Hs. 4) vobiscumque Hs. 5) probente Hs. 6) iterati Hs.